DISCEPTATIO ACADEMICA AD MEDICINAE LAUREAM RITE CAPESSENDAM...

Girolamo Nicola Fabris

DISCEPTATIO
ACADEMICA
AD MEDICINAE LAUREAM

RITE CAPESSENDAM

HABITA

IN PERVETUSTO AC CELEBERRIMO

ARCHIGYMNASIO PATAVINO

AB

HIERONYMO NICOLAO FABRIS

EX FORO JULII

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXI.

486

OPTIMO PATRI

FILIUS GRATISSIMUS

458

An dentur remedia absolute deprimentia ?

Necessitas et casus hominem coegerunt substantias quasdam in usum adversus morbos vocare: experientia vero et ratione duce illorum effectus investigati fuere.

Donec aegritudinum indoles ignorabatur, aut forma tantum eorum innotescebat, remediorum quoque actio in tenebris latebat, vel per hypotheticas Pathologorum fallacesque theorias explicabatur.

Notiones corporis humani functionumque suarum profundiores, statuum morbosorum investigatio accurata, indagines in potentiarum nocentium naturam, cum Pathologiam altius evehe- rent, sequelas quoque innumeras peperere, per quas medicaminum per chemicam analysin tentatorum actio propius intelligi coepit, ipsaque inde in ordinem digeri potuere.

Joannes Brown vitam contemplatus, quodque eam proximius constituit, incitabilitatem, unicam tantum potentiarum externarum, et propterea etiam medicaminum agendi rationem agnovit. Quidquid unicum illud vitale principium afficit, incitamentum producit, et qualis stimulus considerari meretur.

Hocce systema quod medicorum etiam sagacissimorum mentem rapuit, Reformatorem in nostra Italia reperit. Hic expertus quaedam remedia superare morbos ex stimulo nimio suscitatos, oppositaque ac hi ratione agere, illustris Medicus conatus est remediorum existentiam stimulis perfecte oppositorum probare, quaeque propterea antistimulos seu contrastimulos appellavit.

Ut, quoad licet, quae officii sunt peragam, medicamina ad hancce secundam classem spectantia investigare studebo. Argumentum sane humeris meis nimium videtur. Asclepiadis enim templi limen vix modo attingo. Si tamen, et revera maxime confido, vestra humanitate prosequi velitis, ideae saltem excogitatae gratia laetabor.

Si ad trutinam potentiarum medicatricium deprimentem actionem revocare velimus, notiones de vita modo dominantes recolamus oportet.

Vitalitatis appellatione intelligimus generatim vim eam organisationi inhaerentem, quae ex quantitate et qualitate materiae organicae illam constituentis originem ducit, quae stimulos percipit, illisque respondet; quae semetipsam conservare tendit jacturas per continuas actiones factas reparando; quae semetipsam reproducit; quae in variis organis et systematibus variat, quaeque tamen in unicum finem ubique vitam consentit.

Ex hacce vis vitalis descriptione elicimus: ut substantiam deprimentem pronunciare possimus oportere, ut materiae organicae quantitas vel qualitas universim immutetur, ut motus imminuat

seu tollat, quin tamen prius efferat; ut in omnibus punctis aeque agat, quicumque sit vitae status, quaecumque medicamenti dosis.

Fingi nequit substantia, quae in vires vitales agendo hasce infringat, quin mixtionem etiam organicam alteret: quemadmodum proprietates salis physico—chemicas nequaquam immutare possumus, nisi illius principia constituentia alterantes. Ex hisce derivamus non dari substantias solummodo dynamicas, sed semper chemicam iis actionem adsociari.

Medicina quamquam formas et applicationis locum remediorum variare tentaret; haec tamen ad solam ferme cutem est coercita semper, et ne ad totam quidem superficiem extensa fuit: excipienda enim sunt vulnera nec non ulcera (1).

Prima igitur cujuscumque remedii applicatio topica cum sit, si applicationis puncta cum reliqua massa comparemus, topica quoque prima ejus actio sit utique oportet. Etenim vel remedium textum ordine primum afficit, vel eum non alteratum relinquit. Priori in casu actio potissimum in huncce dirigitur, posteriori vero is immunis perseverat: at actio pariter topica enascitur cum textum alium petat.

Quemadmodum autem relationes variae cum electrici, cum caloris substantia, facilia vel ae-

(1) Institutae sunt injectiones in venas, quae tamen periculo non carent.

gra, vel etiam impossibilia harum chemica efficiunt connubia; sic varius textuum et organorum percipiendi modus in causa est, cur affinitates chemicae, et hinc etiam actiones medicaminum vel admittantur vel rejiciantur.

Videtur nec imponderabilia, etsi facillime diffundantur, aeque in universum organismum agere posse: etenim secundum elementorum quae adgrediuntur capacitatem, credibile est, lente seu rapide, diversa quidem proportione, textibus organisque variis intime uniri, ut mox, vel aufugiant, vel latentia in illis resideant. Est igitur quam maxime probabile eorum actionem in quolibet organo specialis quasi characteris fieri. Exempla habemus in ustione, atque in aestate. Caloris influxus mutat gravissime partis organicae cui applicamus texturam; dum in ferventi anni tempore caloris materia in interna fertur viscera, in hepatis et intestinorum detrimentum, et choleram, febres gastricas, biliosas, diarrhoeas, dysenterias provocat.

Cum igitur prima remediorum actio, et primus eorum effectus topicus necessario habeatur, mutuarum actionum quoque harmonia turbatur. Id per impressionem, per motum, per novum efficitur productum.

Est solidi vivi proprietas sese alterandi quotiescumque mutationem patiatur in positu, proportione, indole principiorum illud conflantium. Prout vero substantia facilius aegrius, majori minori celeritate, profunde, seu ad solam superficiem, par-

tem impellit, vel mutare nititur; impressio exoritur vim exercens gradus diversi.

Cum haec actio, mechanica, vel chemica, vel mechanico-chemica sit, nec alius speciei esse possit, juxta varios gradus sensum ciet voluptatis, titillationis, pruritus, molestiae, doloris; vel motum etiam subdolum, obscurum, manifestum, potentem provocat.

Molestia consistere videtur in elementi organici conatu in separatione partium integrantium, in conatu in chemicae compositionis perturbationem: dolor vero in nisu maximo consistit. Ex allatis satis perspicimus, haec tum per stimulos, tum per antistimulos promoveri.

Non semper autem chemica, vel rapidissima et fortissima, sensum producunt. Affinitas, quae libera per electionem semper agit, substantiam per electionis vim in chemicum connubium promptius cogere potest, cum elementis fibrae cujusdam organicae. Si affinitas in fibram nerveam cadat, essentiamque suam modificet, torpor brevis, vel brevis etiam sensus oritur jactura. Acidum hydrocyanicum, ejusque preparata simili affinitate pollere videntur. Fieri etiam potest, ut per affinitatis producta nervi afficiantur omnium ultimi: tuncque remedii tolerantia et efficaciae defectus utique explicantur, quae tamen et a saturatus quadam specie pendere possunt.

Quamcumque impressionem metiri possumus per motum in aliis partibus vel excitatum vel sublatum.

Motus constitutionis textuum proprius, vel sen-

sui submittitur et consensualis nuncupatur; vel aequilibrii topici est effectus, per elementa aliquot rupti, quae ad positus sui, vel chemici connubii mutationem tendunt, ut affinitatem suam exerceant. Priori in casu diffunditur motus ad illa organa et systemata mobilia, quibuscum textus, organa, systemata nerveo quasi nexu ligantur; posteriori vero casu motus spatio peculiari circumscribitur, quodque nullo pacto a nervis pendet. Motus consensualis vel ipsemet, vel per effectus suos in oculos incurrit, sed necessarius nequaquam est semper, imo nec deprehenditur ubi nervorum sensilitas infirmetur: haec quoque causis addatur actionis topicae sopientium. Motus quidem, qui effectus directus pèculiaris est substantiae cum organo in conflictum venientis, qui etiam organicus absolutus dici potest, aeque ac chemica actio est necessarius. Motus consensualis solus est qui generalis evadere possit, atque influxum suum in alias partes exserere; sed hicce effectus oppido differt a pharmacorum effectu topico; et diversus sane status est partis titillationem, molestiam, dolorem persentientis, a motu illo, quem consensus ope organa reliqua et textus experiuntur.

Quemadmodum vero quaecumque solidi vivi pars mobilis constitutionis, in naturali conditione, motu consensuali a stimulis excitato gaudet, qui perpetuo textus universos aggrediuntur; ita si potentia quaelibet per peculiares affinitates suspendat, vel extinguat nerveae fibrae facultatem, hujus motus, aboletur et influxus impeditur.

Quantumvis actionem remedii, quae generalis esse nequit, extendi velimus, quantumvis validus motus diffusilis habeatur, fortisque in organum aliquod istius influxus, motus ille suspensus solum imminuere vel tollere poterit motum partium organicarum, quibuscum relatio existit. Motus denique tum organicus tum consensualis productum est semper actionum mechanicarum, seu chemicarum, causa proxima absorptionis, et causa ulterioris remedii progressus.

Prima medicamenti actio exhauritur in organo vel textu, cum illud simplex sit sive compositum, connubium seu resolutionem chemicam materiei organicae ope inierit.

Quodcumque, textu modificato, ipsum reliquit, denominatione generica producti designatur. Hoc vel ex organismo expellitur, quemadmodum pleraque cathartica, tali sub respectu ministrata, vel humorum circulum ingreditur.

Medicamen quo magis a principiis naturae animalis analogis conflatur, eo minus producto vires medicatrices relinquit. Et revera cum facile assimilari possit, jure alimentis potius quam remediis proprie ita appellatis accensetur. Illae vero substantiae a regno praesertim minerali proficiscentes, quae materiei organicae semet adcommodari nequeunt, ad alias feruntur partes, vel secessae vel nova compositionis forma indutae, ut denique per secretiones et excretiones ejiciantur.

Ignorat adhuc Medicina an inter nova ista compositionis, vel resolutionis chemicae producta,

neutra respectu organismi, sive illi indifferentia existant: eam tamen non latet ipsa nonnunquam facultate pollere speciali, propter peculiares cum textibus seu organis affinitates. Quod si veteres sialagoga, deobstruentia, expectorantia, diuretica diaphoretica etc. enumeravere, recentiores in hydrargyri, stibii praeparatis, in squilla, in cantharidibus particularem in serosas et mucosas membranas agendi modum, nec non in vasa lymphatica, in apparatum uropojeticum agnovere. Hic quidem effectus electionis topicus productorum extremorum medicaminum haberi debet.

Inconstantia tamen actionum harum secundariarum negari nequit, effectuumque varietas, quae obvia sunt in praxi; at in individuam indolem organismorum animum convertentes, ad dosin remediique formam, facili negotio quisque rationem reperiet phaenomeni.

Temperamentum, habitus, dyscrasiae, idiosyncrasiae, nec non variae morborum complicationes systema aliquod ut predominetur efficiunt, vel ipsum alterant, et alterare propterea valent capacitatem et affinitatem in remedia, ita ut praecipitetur, decrescat, mutetur, tollatur effectus. Dosis eadem sibimetipsi obstaculo fieri potest, idque temporis, quantitatis, vehiculi atrii, cui applicatur, gratia. Exinde et *a posteriori* necessitatem actionis chemicae affinitatis electricis, et propterea virtutem substantiarum medicatricium nequaquam universalem comperimus.

Ex hisce quae de vitalitate, de ratione agendi

et diffundendi remediorum, difficile non est sequentia elicere corollaria:

1.° Vitalitas varia cum sit in compositione textuum, organorum, systematum diversorum, eorumque structura, non aeque in unoquoque horum alteratur.

2.° Remediorum actio cum submittatur affinitati chemicae per electionis vim sese exserens, non eadem habetur, quodcumque sit atrium cui applicatur.

3.° Eadem ex causa remedia vi universali et uniformi non gaudent, sed modificata seu rejecta in partibus singulis topice agunt.

4.° Sensus motusque suspensi, seu anomali, non possunt nisi post temporis lapsum, et indirecte depressionem promovere, reparationem impedientes, vel textuum jacturas praecipitantes: quod stimulis etiam est commune.

5.° Motus organicus non deficit, nisi et actio chemica vel mechanica deficiat; ex quo conficitur hasce ad remediorum actiones necessarias esse.

6.° Remedium in prima actione sua modificatum effectus secundarios differentes prodit secundum dosin: hae tamen actiones semper topicae exercentur respectu habito temporis, et novorum productorum electricium affinitatum.

Si igitur mente recolamus compositionem, texturam materiei organicae, consensum, sympathias, antagonismum, revulsiones diffundere, coercere, mutare formas et genus morborum valere, causamque ideo esse potissimam, per

quam remedium multiplicat, limitat, variat effectus suos, nemo refragabitur sane, nullum medicamen cum reperiatur virtutis, tum universalis, tum constantis, nec propterea in deprimentium classe; nemo inquam refragabitur, medicamentum non haberi actionis absolutae et universalis, sed relativae tantum et topicae.

Circumscripta sic a me, quoad potui, magis idea absoluta deprimentium, nec ad solam stimuli actionem illa limitata veluti Brown statuit; vota quidem facio, ut in tanta pathologicarum doctrinarum luce, cognitiones de propria medicaminum facultate amplientur, jugiter monentes, si damna nil praescribendo parimus, multo tamen magis a Pharmacologia dubiosa atque indigesta esse timendum.

THESES

I.

In remediis ministrandis summopere ad formas respiciendum.

II.

Morbi non tolluntur nisi indirecte.

III.

Quicumque nihil certi in Medicina reperit, bona quidem conscientia illam exercere nequit.

IV.

Sanatio post medicaminis usum hujusce virtutem omni ex parte non patefacit.

V.

Tubus gastro—entericus facilius ac alia organa et systemata afficitur.